

E A N D E M A L T I T V D I N E M B E N E F I C I O radij visualis inuestigare Propositio II

Quia solis radios, & per consequens umbram semper habere non possumus, ideo alium modum in promptu habere oportet, per quem hoc negotium absoluamus, nempe per radium visualem. Sic igitur procede. Pone regulam mediclinij in dorso Astrolabij præcisè super 45. gradum eleuationis, qui gradus in extremo margine circumquaq; per quartas circuli sunt descripti; deinde liberè pendente Astrolabio, tam diu à radice turris recede, donec per utrumq; dioptræ foramen fastigium turris seu rei mensurandæ intuearis; quo peracto spatium intercœptum inter te & turris radicem metire, addendo staturæ tuæ, quæ est ab oculo usque ad terram, quantitatem, & habebis dictam altitudinem. Atque hæc propos. eod. modo, quo precedens demonstrari potest, ut enim umbra, in tali eleuatione solis, rei, cuius est umbra, æquatur; ita spatium inter mensorem & turrim intercœptum, quod repræsentat umbram.

E A N D E M A L T I T V D I N E M S I N E Astrolabio facile perquirere. Propos. III.

Fac 2. regulas ex ligno politas & rectas, quarum una ad alteram dupla sit, quæ parallelæ seu æquidistantes insistant firmiter & ad angulos rectos alicui tertiaræ, quæ minori ad unguem sit æqualis & tam diu attolle vel deprime instrumentum, vel etiam infige regulas in terram, ita ut spatium terræ inter illas intercœptum sit minori æquale, & tam diu recede à turri, donec oculo super minori posito, per sumitatem maioris apicem turris conspicias, deinde à termino minoris regulæ usque ad radicem turris metire spatium, & habebis altitudinem eius, addendo quantitatem minoris regulæ. Ut v. g. sit turris A B, spatium indefinitum B C, regula minor F G, eius dupla D E coniunctæ per tertiam DF minori æqualē. Radius visualis transiēs